Q. D. B. V.

De

INNOCENTIA INAUDITA,

Commentatio Politica

ad

C. Taciti Hiſtor. Libr. I. Cap. VI.

quam

Moderante

L. ADAMO RECHENBERG, P.P.

Præceptore devenerando,

In

ACADEMIA LIPSIENSI

d. XVII. Aug. M. DC. XCV.

H. L. Q. C.

Eruditorum disquiſitioni

proponit

CAROLUS GOTHOFREDUS Engelſchall/

Olsnitio-Variſcus.

LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

17

41

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS atque CONSULTISSIMIS

DNO. MARTINO ALBERTI,

Hæreditario in Troſchenreuth, Widersberg, Crummenhennersdorf & Nieder-Schœnau, Ser. El. Sax. Conſiliario, & Freibergæ, Civitatis Hermundorum primariæ, Conſuli optime merito,

Patrono & Evergetæ meo ætatem devenerando:

Nec non

DNO. JOHANNI GEORGIO TICHERO,

Coldicenſis Quæſturæ Electoralis Præfecto graviſſimo,

Affini & Patrono plurimum honorando,

Has ſtudiorum Academicorum primitias debiti honoris cauſa

D. D. C.

C. G. E. O. V.

B. C. D.

Index & ſeries rerum.

§. 1. *Locus ex C. Tacito recenſetur.*
2. Argumentum *inde verbis* Lactantii *deſignatur.*
3. *Diſpoſitio* tractationis.
4. *Initium ejus ab indagatione cauſarum; cur* inauditus, *habeatur* innocens, *petitur.*
5. Cauſæ *ex corruptis hominum, judicum & Principum moribus derivantur.*
6. *Hinc pro innocentia juris regula:* quisque cenſetur probus, donec probetur contrarium.
7. *Cui in politica prudentia, alia opponitur æque obſervatu neceſſaria.*
8. *Innocentiæ præſidium in judiciis rectè conſtitutis quærendum.*
9. *Ubi diſcrimen* accuſatoris & delatoris *obſervandum.*
10. *Quis* delator.
11. Delatorum genera.
12. *Tales in Cæſarum Roman. aulis frequentes.*
13. *Delatos ante factam probationem non eſſe damnandos.*
14. *Probatur* primo *ex jure divino;*
15. Secundo, *ex jure naturæ;*
16. Tertio, *ex jure Gentium.*
17. *Tandem ex ſcitis atque praxi veterum Chriſtianorum.*
18. *Crimen, cujus quis poſtulari poteſt, vel eſt* civile, *vel* eccleſiaſticum, *ut hæreſis.*
19. *Hæreticos nonniſi hæreſis convictos olim damnatos fuiſſe, probatur ex Hiſt. Eccleſ.*
20. *Mos ille ſub tyrannide Papali in Eccleſia exolevit.*

21. *De ſimili iniquitate in Synodo Dordracena conqueruntur Remonſtrantes.*
22. *Exempla illuſtria ex hiſtoria civili eorum, qui in aulis inauditi damnati ſunt.*
23. *Quomodo vulgo excuſentur.*
24. *Exemplum* Parmenionis *apud Curtium.*
25. Ælii Sejani *apud C. Tacitum.*
26. Marchionis Ancræi *in Gallia ex Gramondo.*
27. Wallenſteinii *apud Puſendorfium.*
28. *Exempla hæc non in judiciis delegatis imitanda.*
29. *Inde judicii Vemici in Weſtphalia iniquitas notatur:*
30. *Similis in judicio, quod Clagefurti in Carinthia eſt, obſervatur.*

§. 1.

PRudentiſſimus Scriptor, C. Tacitus *Libr. I. Hiſtor. Cap. VI.* Galbæ cruenta imperii auſpicia deſcripturus, Cingonium Varronem Conſulem deſignatum, & Petronium Turpilianum Conſularem *indicta cauſa* ſublatos memorat. Quia ille, ut Nymphidii ſocius, hic ut dux Neronis (vel ut *Gronovius* legere mavult, *ut fidus Neroni*) *INAUDITI atque INDEFENSI, tanquam INNOCENTES perierant.* Cujus loci interpres *Plutarchus in Galba, fol.m. 1059.* hæc habet: Ἔδοξε μὴ νομίμως (ὁ Γάλβας) εἰ καὶ δικαίως, μηδὲ δημολικῶς, ἀνῃρηκέναι πρὸ κρίσεως ἄνδρας οὐκ ἀσήμους· *at viſus eſt non legitime quamvis jure, neque civili more inauditos viros non obſcuros necaſſe.* Confer *Tacit. Annal. II. 77.*

§. 2.

Exinde nobile mihi differendi argumentum ſuppeditatum fuit, in quo vires ingenii periclitarer meas. Quod ex *L. Cœlii Lactantii Firmiani Divin. Inſtit. libr. VI. c. I.* petitis vocabulis breviter deſignare placuit. Is enim dum

præ-

prædamnare incognita cauſa nefas cenſet; *Quaſi vero* ait, *major iniquitas ſit, probatam INNOCENTIAM damnaſſe, quam INAUDITAM.*

§. 3.

INNOCENTIAM ergo *INAUDITAM*, fœcundiſſimæ meditationis materiam, uberiori commentatione illuſtrandam ſuſcepi. In qua ne confuſa tractandi ratio tædium lectori pariat, *primum* juris & juſtitiæ momenta expendam; *Deinde* ex hiſtoria antiqua & recentiori exempla adducam, ex quibus major dictis lux accendatur; ac adeo quam turpe apud cultiores gentes ſit, *inauditum damnare*, conſtet.

§. 4.

Hic vero paulo altius exordiendum eſt; ut, cur *inauditus atque indefenſus* in foro humano habeatur *innocens*, adpareat. Quod, ni fallor, commodum fiet, ſi ante in cauſas inquiramus, cur indicta cauſa nemo nocens, aut reus haberi, vel damnari debeat.

§. 5.

Has vero ex ingenii ac indolis humanæ contemplatione, ac judiciorum Principumque moribus arceſſi poſſe arbitramur. Illa propter labem primi peccati ita corrupta eſt, ut, licet juxta legem naturæ, homo hominem ob communem inter ipſos cognationem amare, ejusque commodum, quantum licet, promovere debeat; in ipſo tamen major fere ad nocendum alteri proclivitas, quam in quovis brutorum genere deprehendatur. Stimulant enim hominem pravi affectus brutis ignoti; ut ſuperflua habendi libido, avaritia, gloriæ & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, vindictæ ſtudium. Accedit in multis præterea quædam petulantia & aliis inſultandi aut nocendi libido. Quæ efficiunt ſæpe, ut ne innocentiſſi-

 mo

mo quidem ab aliorum calumniis liceat ſemper eſſe ſe-
curo. Judices quoque ac Principes pravis affectibus obnoxii, ſæpè delationes ſubdolas admittunt; ut, quibus aperta vi nocere non potuerint, oblata forte per falſos accuſatores occaſione, cauſa indicta ipſos premant aut puniant. Unde ſi favor defenſionis delato aut accuſato denegatur, nemo innocens haberi poterit.

§. 6.

In favorem igitur innocentiæ trita juris regula invaluit. *Quisque cenſetur probus, donec probetur contrarium.* Hujus ſciti in humana vita ſane neceſſarii, non alia cauſa reddi poteſt, quam maligna aliorum lædendi innocentes proclivitas. Cui in foro humano, hac regula velut obex ponitur.

§. 7.

Equidem in civilis vitæ negotiis tractandis, ex eadem cauſa prudentes, ut videtur, regulam illi contrariam, obſervandam ſuadent; qua *probum quemque malum fieri poſſe, ſtatuitur; niſi vinculo juris adſtringatur, aut, ut probum ſe gerat, vi etiam compelli queat.* In contractibus certe, pactis & fœderibus tot cautionum formulis opus non eſſet, ſi quisque ſemper bonus, aut probus eſſe præſumeretur. Enimvero, ut prioris regulæ in judiciis maximè locus eſt; Ita hujus in negotiis civilibus uſus eſt maximus; cum priſca fides, quæ olim celebrata fuit, in orbe ferè exulare cœperit, prævalente alterius potentia, aut utilitatis incertæ reſpectu.

§. 8.

Innocentiæ ergo præſidium adverſus delatores & accuſatores iniquos in judiciis, quibus nulla civitas carere poteſt, quærendum eſt. In his, cum cuique jus ſuum reddi debeat, judicem oportet cauſam cognoſcere, delatum

tum audire prius, quam ſententiam pronunciet. Quia ex tritiſſimo illo JCtorum ſcito, ſecundum acta & probata judicari debet. *Vid. Ziegleri Dicaſtic. Cap. XXXII.*

§. 9.

Hic autem diſcrimen inter *accuſatorem* & *delatorem* notandum venit. Illius officium in Republica non utile modo, ſed etiam laudabile eſt; cum non minus virtutis civilis pars ſit, malos accuſare, quam bonos defendere. Unde *Ciceronis* eximia eſt hac de re *diſſertatio in Orat. pro Roſcio Amerino: Accuſatores*, inquit, *multos eſſe in civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia; verum tamen hoc ita eſt utile: ut ne plane illudamur ab accuſatoribus.* Igitur in rudimentis civilium officiorum (ut *Suetonius Dialog. de Orat. 34. vocat*) nonodecimo ætatis anno, L. Craſſus C. Carbonem, uno & viceſimo, Cæſar Dolobellam, altero & viceſimo Aſinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus inſecuti ſunt, quas cum admiratione legit poſteritas. Ipſum Ciceronem quid magis nobilitavit, quam accuſatio Verris & Antonii? Accuſandi ergo munus inſtrumentum judiciorum & ſpecimen civilis officii eſſe poteſt.

§. 10.

Sed delator eſt, qui crimina in viros claros ſtruit, vel ſtructa adornat, ac per ſpeciem legitimæ accuſationis, pravo nocendi propoſito, adulatione in Principem & ſpe præmii, in judicio invidioſe magis ex libidine Principis, quam vere & pro merito cauſæ exagitat. Hinc delatores tyrannis inter inſtrumenta regni fuere. Hi enim, ut injuriis & crudelitate ſua inſontes & bonos clarosque viros, variis ex cauſis ſuæ plerumque virtutis nomine ſuſpectos ſibi inviſosque opprimerent ac ſubmoverent, vel magis diffi-

niſteriis ita gaviſi ſunt, ut ultro exigerent.

§. 11.

Unde horum genus in aulis frequens. Ubi *quidam* pravitate ingenii & morum, Principis voluntatem flagitiis demereri peſſimisque artibus præmia virtutum indipiſci ſtudentes, hoc genus vitæ ac munus deligere ſolent; ut nocentes juxta innoxiosque nullo diſcrimine accuſando, vel avaritiæ Principis, vel ſævitiæ materiam ſubjiciant. *Alios* metus & temporum diritas, quibus nullis bonis artibus locus, nec niſi ex ſceleſtis miniſteriis ſpes ſecuritatis in transverſum agunt; ut turpes labores cum præmio, quam honeſtam quietem cum periculo malint. Ideo Principis affectibus operam ſuam & nequitiam accommodant, calumniæque ſtudium & formulam in adulationem componunt; modo avaritiæ inſtigamenta avaro, modo ſæviendi materiem ſuperbo & crudeli Principi ſuggerentes. *Exempla ex Taciti Annalibus & Hiſtoria doctiſſimus Bœclerus annot. in Libr. II. Hiſtor. cap. 10.* collegit, iisque hunc locum illuſtravit.

§. 12.

Per hos, apud Romanos ſortis humanæ commercio ſublato, non loqui, non audire, non videre miſeris civibus impune licuit, quæ natura ſenſibus, affectus animo, conſvetudo moribus obtulit. *Tacitus Annal. VI. 19. & IV. 69.* Mos ille pravus temporibus Tiberii, Neronis, Caligulæ & Galbæ Romæ frequens fuit. *Ammianus Marcellinus* etiam *libro XIV. 3.* ſimilia delatorum, emiſſariorum, calumniatorum ſcelera annotavit. Erant quippe apud Romanos per claſſes & ſpatia diſpoſiti accuſatores ordinatique delatores. Quidam propius & velut a latere principis ſtructa excipiebant crimina: quidam per internuncios audiebantur:

Alii

alii repertores flagitii & calumniarum: alii ſatellites, miniſtri, emiſſarii, captatores, rumigeruli pravitatis accuſatores, *vid. Tacit. Annal. IV. 71.*

§. 13.

Hic, ſi judices, ſi Principes mali aurem, quam delatoribus præbent, reis aut delatis denegant, eosque indefenſos damnant; haut levi crimine ſemet involvere, ex juris divini, Naturæ & Gentium dictatis nunc demonſtrare aggrediar.

§. 14.

Jus divinum de audiendis reis, Deus ipſemet exemplo ſuo ſancivit; quando nonniſi auditis ante Protoplaſtis lapſis pœnam denunciavit, *Geneſ. III. 9. 10. ſ: qv.* Nec pœnas luiſſe Dei populum ante, quam velut cauſa cognita peccatorum, per præcones pœnitentiæ eſſet convictus ac adeo auditus, in ſacro codice paſſim legitur. Noachus præco ille pœnitentiæ, centum & viginti annis, antequam Deus primum orbem immiſſo communi ſupplicio perderet, homines oſtenſa imminentis periculi certitudine Deique ira, ad pœnitentiam & juſtitiam graviter & aſſidue cohortatus eſt. Sed obſtinati ac pervicacis malitiæ homines in exitium ruentes ſuum, neque audire Noachum, neque audiri apud Deum pœnitendo voluerunt. Clarisſima lex divina extat *Deuteron.* I. 16. 17. Et *præcepi judicibus veſtris tempore illo, dicendo; audiendo cauſſas inter fratres veſtros, judicate juſte inter virum & fratrem ejus, etiamque peregrinum ei. Ne ſuſcipitote perſonam in judicio, æque parvum atque magnum auditote,* &c. Imo Deus *apud Jeſaiam cap. V. v. 3.* per quandam συγκατάβασιν, juſtitiam ſuam vindicativam hac de cauſa Judæorum velut cenſuræ ipſemet ſubjecit, ne inauditos ſe pœnis ſubjectos, conquerendi cauſam haberent. Ad legem Hebræorum hac in parte receptam

Nicodemus, *Joh. VII. v.51.* provocavit: *Numquid, ait, lex noſtra judicat hominem, niſi prius audiverit & cognoverit ab ipſo, quid faciat?* Paulus, cum tribunus ipſum inauditum flagris cædi juſſiſſet; adſtanti centurioni dixit: *Num hominem Romanum, & quidem indicta cauſa, licet vobis flagellare?* Act.XXII.4.

§. 15.

Jus naturæ, quod ſtatum hominum corruptum reſpicit, innocentem damnare prohibet; ideo, quod ſocietas hoc modo maxime læditur. Innocens autem ſupra §. 6. ex æquitate naturali habetur, qui nondum auditus eſt, aut cui defenſio denegatur; cum quisque ex lege caritatis, quæ ſocialitatem reſpicit, probus præſumatur, donec criminis ſit convictus. Ideoque defenſio, quæ eſt deductio innocentiæ, juris naturæ eſſe, communi JCtorum conſenſu etiam probatur. Quin tanti favoris apud omnes gentes eſt, ut nec ſtatuto tolli, nec ullo modo a judice impediri aut denegari, aut a Principe prohiberi poſſit; ne quidem ſi hic plenitudine poteſtatis uti velit. Quia nulli Principum id, quod juris naturalis eſt præceptivi, ulli mortalium denegare licet; cum illo ipſe æque, ac alii homines obſtrictus teneatur.

§. 16.

Gentium Jus, quatenus conſuetudinem ex dictatis juris naturæ fluentem moribusque gentium cultiorum receptam notat, ex teſtimoniis ſcriptorum probari poteſt. Quorum magna copia paſſim obvia eſt. Nos ſelectiora in medium tantum adferemus. *Ariſtophanes in Veſpis ſc.* ἤπου v.1. Ἦπου σοφὸς ἦν, ὅς τις ἔφασκε, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, οὐκ ἂν δικάσαις. *Vere ſapiens fuit is, qui judicium nos ferre vetavit, niſi utrisque auditis.* *Æſchin. contra Cteſiphont.* μήτε ἀπογνώτω μηδὲν, μήτε καταγνώτω, πρὶν ἀκούσῃ·

οὐ γὰρ

[illegible]ιον. *Nemo neque abſolvat, neque condemnet, priuſquam audierit: Non enim juſtum eſt.* Cic. *I. in Verrem n.* [illegible] *& pro Roſcio Amerino n. 20. Cauſa cognita poſſunt abſolvi; incognita quidem nemo condemnari poteſt. Utilius eſt abſolvi innocentem, quam nocentem, cauſam non dicere.* Apud *Plinium l. VI. Epiſt. 5.* Licinius Nepos, poſtquam Varenus obtinuerat, ut ſibi teſtes pro defenſione liceret evocare; cœpit petere, legi repetundarum adjici: *Ut, ſicut accuſatoribus inquirendi, teſtibusque denuntiandi poteſtas ex ea lege eſſet, ita reis quoque fieret.* Hinc apud Romanos ex lege accuſator ſex horas, novem reus acceperat, teſte *Plinio l. IV. Ep. 9.* Nam alibi dicit, *ſuſpicionibus relinqui reos, niſi audiantur.* Quare *Plato* variis in locis requirit, ut judex utramque partem audiat, juxta tritum illud Poëtæ:

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Nunquam decernas, audis niſi tu prius ambos.

Negotiorum enim merita, partium adſertione panduntur. Hinc Medorum judices olim geſtarunt in capite tiaram, cui ad ſiniſtrum latus appenſum opus e margaritis fimbriatum, alteram aurem ejus, qui geſtat, obtegens: quibus ſignificabatur, ὡς τὸ μὲν ἀσκεπές, τῶν ἐγκαλούντων ἐστι, τὸ δὲ σκεπόμενον ἐς τῶν κατηγορουμένων μὲν, μὴ παρόντων δέ, *aurem quidem retectam accuſatoribus dari, tectam vero accuſatis ſeu abſentibus reſervari.* Vid. *Curopalat. de official. Palatii pag. 105.* In jurejurando Athenienſium, *Demoſthenes de corona orat. V. f.* 473. illud æquisſimum eſſe, ait: τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, *æquali ratione utrumque audire.* Anus quædam inops ſæpenumero petiverat, ut cauſam ſuam diſceptaret Philippus Macedo; ſed interpellanti frequenter reſpondit Philippus; *Non vacare ſibi:* Noli ergo regnare, ſubjecit illa. Quod ipſe dictum admiratus, non illam modo, ſed & alios

 ſta-

nam postea audivit, apud *Plutarchum in Apophthegmat. p.179. & in vita Demetrii pag.909.* Patrem ſuum hac in parte Alexander M. imitatus eſt. Nam Plutarcho in ejus vita memorante, cum judicia exerceret capitalia, manum alteri auri, dum diceret accuſator, admovere ſolitus eſt; reo ut alteram integram atque intactam ſervaret a calumniis. Trajanus Julio Frontoni reſcripſit, *abſentem in criminibus damnari non debere.* Aſſiduo Severo etiam reſcripſit: *Satius eſſe impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. v. leg. 5. ff. de pœnis.* Ideo Marcus recte apud Vulgatium Gallicanum in Avidio Caſſio *cap. 2.* dixit: *Non poſſumus reum facere, quem nullus accuſat.*

§. 17.

Gentilium ſententiam moremque laudabilem, etiam Chriſtiani ſcriptores magno conſenſu adprobarunt. *Athenagoras in Apolog. editionis noſtræ pag. 19. ſeqv.* communi gentium jure nixus, *Chriſtianos prius audiri, quam damnentur, rogat.* Idem fecit *Tertullianus Apologet. c. 2. quia*, inquit, *non licet indefenſos & inauditos omnino damnari.* Hinc Trajani Imperatoris reſcriptum apud *Plinium l. X. Epiſt. 98.* quo vetans inquiri Chriſtianos, *oblatos puniri* juſſit, iniquitatis poſtulat atque perſtringit. *Plinius* enim *ſecundus cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Chriſtianis, quibusdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine perturbatus,* quid de cæteris ageret, conſuluit tunc Trajanum Imperatorem, *allegans præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacramentis eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam & cætera ſcelera probibentes.* Tunc Trajanus reſcripſit, *hoc genus inquirendum non eſſe, oblatum vero puniri*

ri

ri oportere. *O ſententiam neceſſitate confuſam* exclamat *Tertullianus? Negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos, ut nocentes. Parcit & ſævit: diſſimulat & animadvertit. Quid te ipſum cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? ſi non inquiris, cur non & abſolvis?* &c. Theodoretus *l. I. H. E. c. 33.* οὐ χρὴ μόνοις τοῖς κατηγοροῦσι πιστεύειν, κἂν ἄγαν ὦσιν ἀξιόχρεοι, ἀλλὰ θατέραν τῶν ἀκοῶν τῷ κατηγορουμένῳ φυλάττειν. *Non ſolis accuſatoribus credendum, quamvis digni videantur, quibus ſit habenda fides, ſed altera auris integra ſervanda reo.* Idem *M. Min. Felix in Octavio, Arnobius adverſus Gentes, & Lactantius* imprimis *libr. 5. cap. 1. de juſtitia. Ambroſius Epiſt. 28. tom. 3. Edit. Froben. f. 106. Auguſtinus Epiſtola 50. Salvianus in fine libri IIX. de Gubern. div. & alii. Liberius Epiſcopus Rom.* circa annum Chriſti CCCLI. ad Conſtantinum Imperatorem: *O Imperator, judicia Eccleſiaſtica decet cum maxima proferri ſententia; Non enim poſſibile eſt, condemnare Virum, de quo nihil examinatum eſt. vid. Hiſtor. Tripart. libr. V. cap. 17.* Hac de cauſa Liberius Athanaſium dejicere ſede, jubente Principe, conſtanter obnixus eſt: *Nec viſum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum ſæpe exclamans*, apud *Marcellinum libro XV. cap. 7.* Conſtantinus Imperator A. ad Maximum *l. 9. Cod. de judic. Judices oportet imprimis rei qualitatem plena inquiſitione diſcutere, & tunc utramque partem ſæpius interrogare;* num quid novi addere deſideret? *Cum hoc ipſum ad alterutram partem proficiat, ſive definienda cauſa per judicem, ſive ad majorem poteſtatem referenda ſit.*

§. 18.

Crimen vero ipſum quod attinet, cujus quis poſtulari poteſt, aut *civile*, aut *eccleſiaſticum* dicitur. Illud eſt actio aliqua lege vetita, aut quæ ea præcipitur, omiſſa. Hoc,

 error

ter defenſus eſt, qui eccleſiaſtico vocabulo *hæreſis* audit. Utriusque probatio prius exigenda eſt, quam ſententia pronuncietur, aut pœna exigatur.

§. 19.

Ac, ut de crimine civili res ſatis manifeſta eſt omnibus: Ita quoque mos in veteri Eccleſia obtinuit; ut qui hæreſis in doctrina accuſati fuiſſent, nonniſi auditi & convicti damnarentur. Sic Arrius in Concilio Niceno hæreſis poſtulatus, prius audiebatur; deinde vero convictus damnabatur. *Vid. Sozom. hiſtor. Eccleſ. libr. I. cap. 17. & 20.* Neſtorius quod ſanctam Mariam Θεοτόκον dicere nollet, auditus prius in Concilio Epheſino convictusque erroris Epiſcopatu exutus fuit, apud *Socratem hiſt. Eccleſ. Libr. VII. cap. 24.* Eutyches & Dioſcorus in Synodo Chalcedonenſi, cum auditi eſſent, anathemate percuſſi ſunt. vid. *Evagrii Hiſtor. Eccleſ. Libr. II. cap. 4.*

§. 20.

Utinam vero hæc juris conſuetudo, invaleſcente inter Chriſtianos Pontificis Romani dominatu, non abiiſſet in deſuetudinem; non tot innocentes a Væjove illo Romano damnati fuiſſent inauditi. Nolo hic antiquiora Martyrum exempla, qui indicta cauſa damnati ſunt, commemorare. Omnibus notum Martyrem Joh. Huſſum in Concilio Conſtantienſi inauditum atque indefenſum ad rogum damnatum fuiſſe conſtat. Quid Luthero noſtro centum annis poſt acciderit, etiam hiſtoriæ peritos non latet. Nam Leo X. Pontifex Romanus eundem quoque præfervido nimis atque inconſulto zelo excommunicavit inauditum. Quapropter ipſe jure meritoque ad Concilium appellavit. Quod, cum poſt multas procraſtinationes, Luthero jam vivis erepto, Tridenti haberetur, Proteſtantes inauditi iterum

rum

nini damnati fuerunt. Non æquiori jure frui datum in hodiernum usque diem fuit omnibus,qui in Italia, Hiſpania, Portugallia ad Sanctæ quod vocatur, inquiſitionis tribunal rapiuntur. Statim enim ac hæreſis inſimulantur, rei habentur adque rogum damnantur. Immanem hanc tyrannidem nobilis Gallus, quam Goæ in India ipſe expertus erat, peculiari libello ante paucos annos evulgato deſcribit. Ipſe *Thuanus Hiſt. libr. III. f. 51.* iſtius judicii formam perverſam & præpoſteram vocat, quod contra naturalem æquitatem, & omnem legitimum ordinem in jurisdictione illa explicanda obſervetur.

§. 21.

Non diſſimilis iniquitatis in Synodo Dordracena Remonſtrantes in Bęlgio poſtularunt Reformatos. Id enim *præfatio* ad Lectorem Chriſtianum Actorum & Scriptorum Dordracenorum Miniſtrorum Remonſtrantium in fœderato Belgio habet: *Hac ratione actum nobiſcum eſt, Chriſtiane Lector, & cauſa noſtra inaudita atque indefenſa damnata eſt ab adverſariis noſtris, quodque dignum admiratione eſt, eorum criminum, quorum ipſi non poſſunt eſſe ſibi conſcii, non tantum rei, ſed & convicti pronunciamur. Quis credat? utique ſi reos tantum nos dixiſſet Synodus, ſpeciem aliquam habuiſſet Oratio; Judicium enim ſuum dixiſſe Synodus videri potuiſſet. At convictos nos fuiſſe, quo colore, qua ſpecie, qua veriſimilitudine dicitur? Certe non alia, quam qua olim Nero Imperator Chriſtianos generis humani hoſtes pronunciavit. Etenim ne pugnatum quidem aut in arenam deſcenſum, aut ad manus unquam ventum fuit. Quippe a collationibus usque adeo abhorruit ſemper Synodus; ut ne vocem quidem ipſam in primo noſtro aditu ſuſtinuerit, ſed ejus ſpem omnem protinus præciderit. Quoties optavimus, rogavimus, oravimus, obſecravimus, ut juſta aliqua*

qua

qua collatio, ſpectante & audiente [illegible] *Belgio* [illegible] *retur? Quam enixe, ſæpenumero petiimus, utrumne in tanta doctorum hominum corona quisquam eſſet, qui errorem nobis noſtrum oſtenderet, & erroris, ſi poſſet, convinceret? At ſemper repulſam paſſi ſumus. Ad judicandum quippe, non ad diſputandum ſe veniſſe ajebat Synodus*, &c.

§. 22.

Miſſa nunc hiſtoria eccleſiaſtica, ex Civili quædam adferemus exempla, viſuri, quid de magnis in aulis Principum viris, qui inauditi damnati leguntur, haberi debeat.

§. 23.

De talium vero facinorum cauſis varia ſcriptorum judicia proſtant, quibus illorum autores vel abſolvuntur, vel excuſantur, vel damnantur. Qui hos excuſant aut abſolvunt, urgent ampliſſimam Regum ac Principum poteſtatem, qui omnium magiſtratuum, omnium judiciorum vicem ſubeant, quoties placet; illudque ſolenne carmen, quod animos ſtupore, ora ſilentio ligat, adducunt: Non eſſe ſubditorum, inquirere, quid Regi, & ex qua cauſa placuerit: ſive ut *Tacitus Annal. VI. 8. effert. Principi ſummum rerum judicium datum eſſe, ſubditis obſequii gloriam relictam.* Sed hæc valent in regno, ubi ſine fine dominatio obtinet; non vero in liberioribus regnis aut rebus publicis Chriſtianis, ubi a jure diſcedere nunquam licet. Itaque alii addunt ſummam rationem hic attendendam eſſe, quæ in arduis ejusmodi negotiis pro neceſſitate eſt legem non habente.

§. 24.

Nos de Exemplis in hiſtoria illuſtribus diſtinctè diſſeremus, rationes expenſuri, quibus excuſari, ſi non abſolvi autores facinorum posſint. Ac, quod Parmenionis cædem apud *Curtium libr. VII. cap. 2.* attinet, reus is agi non potuit, cum tantorum dux exercituum eſſet, qui tantis ſub-

ſubnixus opibus ad cauſam dicendam nunquam comparitururus erat: acie ergo vincendus fuiſſet. Si vero arma in recuſantem expedita fuiſſent, jam civile bellum, per ſe deteſtabile, & flagrante externo inter medios hoſtes, periculoſe intempeſtivum ſuſcipi oportuiſſet. Accedebat ex mora periculum: ne audito filii ſupplicio, non dominationi magis ſuæ, quam vindictæ conſulendum Parmenio decerneret. Igitur vi opus fuit, ut vis repelleretur. Qua ratione Alexander *libr. IIX. c. 8. apud Curtium*, Calliſthenis, viri optimis moribus & artibus præditi, cædem graviſſima oratione uſus, adverſus Hermolai invectivam excuſat.

§. 25.

Ælii Sejani, quem Tiberius ſocium laborum non modo in ſermonibus, ſed apud Patres & populum celebravit, colique per theatra & fora effigiem ejus, interque principia legionum ſivit, cædem, multa ſunt, quæ illam juſtam fuiſſe probant. Nam nimia fortuna in aula, tribunitia poteſtas & gratia Principis tantos illi animos addiderant; ut res novas non tantum moliretur, ſed cupidine imperii flagraret, ac imperatoriam majeſtatem eluderet. Non ergo aliud ſecuritatis remedium erat, quam ut homo tot criminum reus, & ipſi Cæſari ob conjurationem metuendus e medio tolleretur. Scelera ejus & caſum *Tacitus Annalium IV. 1. 2. 3. & Libr. V. 3. 4. 5.* refert. confer *Svetonium in vita Tiberii cap. 65.* Sed quod poſt hac placitum, ut in reliquos Sejani liberos animadverteretur, & filia puella delicti neſcia, triumvirali ſupplicio in carcere afficeretur, & a carnifice laqueum juxta compreſſa fuerit, id inauditum apud *Tacitum Annal. V. 9.* habebatur. Excuſatur tamen facinus ex lege Julia, de cujus juſtitia hic disquirere, locus non eſt.

Sejani in aula Gallica Marchionis Ancræi fatum ac caſum *Gabr. Barthol. Gramondus L. II. Hiſtor. Galliæ.* graphice depingit. Ex humili ille fortuna ad ſummum in aula apicem favore matris Regis adſpiraverat, pro arbitrio omnia agens, ut Luynæus ipſius æmulus, dum iſte in Normannia abeſſet, apud Regem arguta oratione exponit: Quaq; eundem capeſſendi impatientem regni permovit, ut cædem ejus opportuna per Ancræi abſentiam occaſione, quæ in aulis Principum præceps eſt, ſolo Luynæo conſcio decerneret. Quam Vitrius a Luynæo Regis juſſu inſtructus d. 24. April. a. 1617. patravit. Ornanus, cæſo Ancræo dixit: *Reſtitutam hodie Senatui libertatem; autoritatem legibus, Regi regnum.* Populus velut nec ſui compos, implet urbem applauſu: Cecidiſſe tyrannum: nullo jam obice regnaturum Regem; ſic caderent, quicunque auro publico inhiarent. Hic *Gramondus p. 158.* ſubjicit: *Probata omnibus ultione plerisque diſplicuit modus. Regi judices eſſe lege conſtitutos, quorum ſit inquiſitio in crimina & pœna indictio: Infra majeſtatem eſſe, quodcunque a Rege in magnis cauſis privatim agitur. Ceteris mortalibus in eo ſtare res & conſilia, quid ſibi conducere, quid obeſſe putent: Regum diverſam eſſe rationem, quibus præcipua rerum in fama verſantur: Reum majeſtatis Ancræum; at debuiſſe veteres antecedere formulas judicisque delegati ſententiam. Regibus etſi in ſcrinio pectoris leges ſunt, invaluiſſe conſenſu illorum & populi, ut committatur viris probis cauſarum cognitio, præcipue capitalium, alioquin privati cujuslibet, apud quem erunt arbitria rerum, libidini fore obnoxiam fortunam omnium. Plerumque aulicos rerum ſummam tenentes, ſpecie publicæ ultionis, privatis odiis graſſari. Non defuere, quibus & probaretur vindictæ modus: A Regibus delegari ſolitum in publicis judiciis magiſtra-*

ſtratum ob cauſas maxime duas: deprecandæ invidiæ, quam in judicem excitat ſeveritas legis, & procurando ſibi otio, quod aſſiduo judiciorum ſtrepitu turbatur; Si Rex ſupra invidiam eſt, ſi per judicia occupari amat, arbitrioque ipſe ſuo jus reddere, ceſſat officium delegati: in manu Regum eſſe leges, ut dixerint valere, ut abrogaverint, eſſe invalidas: neque delegatus jus eſſe, niſi ex ea formula (prout Rex privatim, aut publice ſtatuerit) Per alium quæ poteſt Rex, multo magis per ſe ipſum poſſe. Denique non eſſe ſubditorum inquirere, quid Regi, & ex qua cauſa placuerit. Hæc pro excuſando facinore allegabantur. Sed ut Rex injuſtæ cædis ſuſpicionem amoliretur, confirmando in Ancræum judicio, placuit in mortuum lege agi, quo traducta ad poſteros viri memoria, qualium criminum reus fuiſſet, conſtaret. A fiſci advocato incuſatur tyrannidis uſurpatæ, amotæ pecuniæ publicæ, populi oppreſſi. Inquiſitionem ſequebatur plena probatio, probationem Parlamenti placitum, quo poſt condemnatam rei memoriam, confirmatur exacta pœna: immobilia, quæ poſſederat, fiſco addicta; Rex munificus in Luynæum transfert mobilia, *v. Gramond. l. c. p. 169.* Atque hoc modo invidia, quod indicta cauſa perierit, diluitur. Rex enim præviderat, ſi reo via judicii conſveta pateret, matrem pro eo interceſſuram eſſe. Itaque ſvadente publica utilitate præveniendum cenſuit.

§. 27.

Caſus VVallenſteinii, e tribuno ſupremi exercituum Cæſaris Ferdinandi II. Ducis, & e Barone Principis Imperii facti, notabile incertæ fortunæ exemplum, variis judiciis obnoxius fuit. Eum perfidia ſuſpectum, ſed inauditum Cæſar die 15. Febr. a. 1634. Egræ trucidari juſſerat. Cædem hanc *Pufendorfius l. VI. Rer. Svecicar. §. 18. deſcribit, ac §. ſqu.* elogium addit. Certum eſt, crimen, cujus per ſu-

ſpiciones inſimulabatur, nondum fuiſſe liquidum; multo minus ipſum ante adverſus delatores auditum. Atenim vero, quæ ſupra pro excuſando facinore Alexandri M. Parmenionem e medio tollentis adduximus, & hic accommodari poſſunt. Summus ipſe exercituum dux incircumſcripta poteſtate gaudens: quem, ſi reum agere voluiſſet, acie prius vincere oportuiſſet; ut ad cauſam dicendam compareret. Itaque cum civis aut miniſtri perſonam exuiſſe videretur, vi coërcendus erat; ut Cæſari reſtitueretur autoritas, quam per voces & ſermones irreverentes jam labefactaverat.

§. 28.

Si igitur maxime hæc magna exempla aliquid ex iniquo trahunt; publica tamen utilitate compenſantur. Nec ideo judicibus delegatis eadem imitari licet; ut crimine nondum liquido aut comperto, ſæpe etiam in contrarium conjecturis innocentiam rei ſuggerentibus, delatos damnent inauditos. Valere enim hic illud Taciti debet: *Non imperio utendum eſſe, ubi legibus agi poſſit.* Atque hinc in capitul. Caroli M. & Ludovici impp. l. V. *cap. CCXLII.* de non judicando quenqvam ante nominatam cauſam, extat: *Non eſt juſtum judicare aut condemnare virum, cujus cauſa ad liquidum non eſt examinata.* Et cap. CCXLIV. ſubjungitur: *Judicis non eſt, quemlibet judicare vel condemnare absque legitimo accuſatore: quoniam & Dominus Judam furem eſſe ſciebat, ſed quia non eſt accuſatus, ideo non eſt ejectus.* V. Lindenbrogi cod. LL. Antiqv. fol. 969.

§. 29.

In Judiciis Vemicis (Vehmen Gerichte) in VVeſtphalia olim moris fuit, ut judices ſceleris poſtulatos, nulla facta inquiſitione ſupplicio afficerent. Nam memorante *Gryphiandro de Weichb. c. 54. & 57.* abſentes non citati, non au-

auditi, in eo ad mortem condemnati ſunt. Quapropter illud ipſe *Vemicum* merito *c.54.n.7.* crudeliſſimum ſimul & iniquiſſimum appellat. Quod etiam etymologia, quam habet *Wernerus Rolewinck* (ridicula licet) innuit; quando Saxones id jus *veme* dixiſſe ait, quaſi *we-mi*, id eſt, væ mihi.

§. 30.

Non diſſimilis judicii exemplum *Piccartus Obſerv. Hiſtorico-Politicar. Decad. VI. c.8.* habet: Eſt ipſo teſte, in Carinthiæ provinciæ oppido, quod Clagefurtum appellant, conſuetudo contra fures recepta: ut, ſi quis in furti ſuſpicionem inciderit, mox captus laqueo ſuſpenſus vitam finire jubeatur. Sumto ſupplicio, poſt triduum de ſuſpicione judicant. Quod ſi reum fuiſſe deprehendunt, quem de patibulo ſuſpenderunt, pendere cadaver infame ſinunt, donec ſua ſponte conſumtum decidat: Sin vero innocens ſit necatus, depoſitum de furca in cœmeterio condunt, juſtumque funus e publico faciunt & gratas ſcilicet exequias. Hic ergo ſuſpicio innocentes facit nocentes, quod ab omni ratione alienum eſt. Nos cum Plinio *Libro III. Epiſt. 9. honeſtiſſimum credimus, non premere innocentem.* Si autem fiat, ſolatium in conſcientia, præſidium apud Deum juſtiſſimum omnium judicem quærendum eſt Chriſtiano.

S. D. G.

NB. Supra §. 2. lin. 3. pro *libro VI.* Lact. lege *l. V.*

Coroll. miſcella.

1.

In Nerone laudandum eſt, quod teſte Svetonio, nihil patientius quam maledicta & convitia hominum tulerit.

2.

In cauſſa juſta etiam parvus vincere magnum poteſt.

 3. Ju-

3.

Juſtum fuit verbum Lyſiæ: *judicantes eadem mente præditos eſſe decet, qua legislatores;* h. e. gratia & ira vacare.

4.

Ultimum in ſervitute eſt, interdicere veritatem profiteri.

5.

Semper potentior lex eſt, quæ vetat, quam quæ permittit.

6.

Affirmativum præceptum cedit negativo.

7.

Miſer eſt Princeps, apud quem vera reticentur.

8.

Quibus omnia Principum, honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt, adulatores merito vocantur.

9.

Cujuscunque animo virtus ineſt, ei plurimum tribuendum.

10.

Fides hoſti data, etiam ſervanda eſt.

11.

Voluptatum artifices in republica noxii.

12.

Non male Ennius, Poëta Romanus:

At Romanus homo, tamen etſi res bene geſta eſt,
Corde ſuo trepidat.

13.

Miſerum eſt, coram judice affectibus obnoxio cauſſam dicere.

14.

Monarchia Democratiæ præferenda eſt.

15.

Eccleſiæ ſtatus, a ſtatu reipublicæ diverſiſſimus eſt.

Viro-

Viro-Juveni Præſtantiſſimo,

CAROLO GOTOFREDO ENGELSCHALLO,

proſperrimos ſtudiorum ſucceſſus adprecatur

A. RECHENBERG.

Q*Vi hoc genus exercitiorum, quæ in ſcholis diſputationes vocantur, faſtidiunt aut alto ſupercilio temnunt, ignorantiam ſuam aut ſtolidum faſtum apricari ſolent. Nam ut omnis ars in vita humana utilis non habet oſorem, niſi ignorantem; ita & hæc exercitia, quibus ex erudita ſententiarum collatione, veritas eruitur, non poſſunt, niſi ab imperito literatorum vulgo, aut* δοκησισόφοις *floccipendi. Equidem inficias ire nolim, fieri poſſe, (aut factum eſſe,) ut de rerum inanibus, in eruditorum cathedra, vitilitigatorum more, nullo auditorum commodo diſceptetur. At vero quid perverſus ille quorundam mos rei per ſe laudabili deroget? Si uſus hic etiam ab abuſu diſcernatur, exercitiis Academicis ſua conſtabit laus, ac uſus, quem eruditiores tantum intelligunt. Et niſi ambitioſum ſit, Te* præſtantiſſime Engelſchalle, *rectius hæc noſſe dixerim: quando re ipſa,*

re ipſa, ab iſta hominum turba diſſentis. Nam etſi primario s. Theologiæ Te conſecraſti, noluiſti tamen eam illotis contrectare manibus: ſed pectus linguis neceſſariis, diſciplinis artium & Philoſophiæ replere & excolere prius ſtuduiſti, quam ſanctiſſimæ illi reginæ Te traderes totum. Ejus rei ſpecimen edere dum paras nunc, utilem ut arbitror, materiam ſelegiſti, & quæ ventilatione modeſta utique digna videtur. DEUS, qui ipſum timentibus proſpera largitur, induſtriam Tuam, quam nobis aliisque cum morum probitate abunde hactenus adprobaſti, fortunet; Patronosque excitet benignos, qui illam juvent, provehant atque ornent ex voto! Vale.

Scribebam Lipſiæ XV. Auguſt.

M. DC. XCV.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE